



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis
summis philosophis repetita**

Scribonius, Wilhelm Adolf

Hanoviae, 1593

VD16 S 5114

Cap. VIII. De consensu Aristotelis & aliorum in definiendo summo bono.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

18 GULIELMI SCRIBONII
3, Tertió, Quorumcumque una est idea, eorundem una scientia est: Bonorum nõ est una scientia: Ipsorum igitur non est una idea.

CAP. VII.

De vero hominis fine.

Quis igitur tandem est ultimus finis hominum?

Actio virtutis: & quidem in vita undique perfecta. Cic. I. Off. Virtutis laus in actionibus consistit.

Quomodo hoc docere potes?

Propria actio cujuslibet naturæ, est ejus finis: Actio virtutis est hominum propria: Ergo hæc quoque illorum finis est.

Cur additur, In vita perfecta?

Quia in quibusdam inchoatæ virtutes ob sequetium flagitiorum fœditatem turpissime deformantur. Ut autem sit firma virtus, affectatione & ætate opus est.

CAP. VIII.

De consensu Aristotelis & aliorum in definiendo summo bono.

Statuis igitur Aristotelem in definitione summi boni planè ab aliis dissentire?

Non quidem omnino dissentit.

Qui quæso cum iis convenit, qui in virtute summum bonum posuerunt?

Quia ipse actionem virtuti congruentem, non nudam virtutem summum bonum esse definivit.

Sed quomodo cum illis, qui in voluptate extremum finem ponunt?

Quia vir bonus non potest non maximam voluptatem ex honestis actionibus capere: ideoque voluptas nequaquam a summo bono excludenda fuerit.

Plenius hoc demonstra.

Qua quisque re plurimum delectatur, ex ea magnam capit voluptatem: Virtutum studiosus honestis & præclaris actionibus plurimum delectatur: Ergo ex iis magnam capit voluptatem.

Quomodo autem cum iis consentit, qui in bonis externis bonum hominis constituerunt?

Quoniam is qui velit esse beatus, extremorum bonorum adminiculo indiget. Vix enim, aut ne vix quidem res magnas ac præclaras gerere potest, cui nullæ opes nullæque divitiæ suppetunt.

CAP. IX.

De modo consequendæ felicitatis.

Unde autem homines assequuntur illam felicitatem, divinitusne an sua diligentia?

Aristoteles definit primam & præcipuam felicitatis causam esse Deum omnium bonorum fontem: secundariam veró & inferiorem causam ait esse doctrinam & consuetudinem sive exercitationem hominis.